

10.

Viro amplissimo clarissimoque D. Nicol. Jacquinio
Botanico eximio s. pl. d. C. Linnaeus Equ.

Heri multa cum voluptate accepi literas Tuas ditissimas pulcherrimis solidissimisque observationibus, refertas seminibus rarissimis, pro quibus omnibus devotissimas reddo.

Ne credas me Tibi fidem non adhibuisse, dixi de Bombace quod ex Hort. Mal. primum retuli ad pentandriam; tunc alii me docuere ad polyandriam referendam esse, cujus etiam specimina accepi, adeoque in altera editione ad polyandriam amandavi; demum et Br. ad monadelphium referri debere docuit, quo ultimo retuli. Dicas et doceas itaque quaenam 5andra, quaenam polyandra? an his utrisque stamina basi connexa necne?

De Bontia et Avicennia edoctus fui a Loefflingio, qui has conjunxit, adeoque per eum erravi in non visa.

Optarem videre characterem integrum Swieteniae, antequam ederem e novo ultimum tomum systematis. Urget Bibliopola novam editionem systematis, distractis jam editis exemplaribus. illi inseram novas Tuas aves, sed mihi non adscribam, sed auctori suo, ut Tua tamen sint.

Credideram equidem Austriacam floram esse ditiozem, inveni ego multas alpinas austriacas a Kramero omissas, sed tamen ille mihi placuit, quod distinctissime sua proposuit.

Carduus mollis est omnino meus, non habeo eundem in horto, ut queam odorem olfacere.

Silene species missa est *Silene conica* omnino, in hortis olim natae plantae petala emarginata vix ac vix habuere.

Cheiranthus erysimoides habet plerumque folia dentata, ut ex incluso videbis, folia radicalia seu prioris anni omnia tantum dentibus constant. *Erysimum cheiranthoides* pessima in agris nostris, integra gerit apud nos folia, vidi tamen varietatem serratam.